

XI.

Quis vero sic negaverit sub τοῖς νοήμασι Corinthiorum simplicitate vera imbutis, conceptus omnes intellectus per verbum DEI illustrati de rebus ac mysteriis divinis, adeoque Theologiae cujusdam ἐκτύπη ὑποτύπωσιν uti a Paulo propositam, ita ab ipsis animo impressam, et firmo assensu receptam, nec non fiducialiter applicatam, non inanibus somniis, sed, ut antea monstratum, solidis doctrinis et vere salutaribus constantem, describi. Subsistit enim primum in τῷ ὅτι mysteriorum divinorum, pergit, in quantum face divina praelucente fieri potest, ad τὸ τί; summa vero deinceps cautione interdum παρακύπτει in τὸ διότι; nec nisi cum veneratione et reverentia e longinquo nonnunquam τὸ πῶς τί, scrutatur. Hic autem debite subsistere et commorari ubi par est, quantae habendum sit difficultatis, fateberis nobiscum, quisquis sobrie de hoc negotio pieque cogitas. Vno verbo dicam: Ipse nodus est fidei simplicis, scrutinium rerum divinarum eousque extendere, quousque et iussit et permisit Scriptura, pedem vero ibi figere et metam ponere, ubi amplius progredi ipsa prohibuit. Ita nescire velle, quae Magister optimus nescire nos voluit, Sapientissima est ignorantia et simplicitas.

XII.

Hactenus se recte status Corinthiorum habuit: *amisibilis* tamen est et mutabilis. Metuit Apostolus in oraculo nostro φθορὰν, CORRUPTIONEM, et velut putrefactionem in re alias incorruptibili, qualis mens est, si eam physice intuearis, datur vero corruptio accidentalis in Subjecto, quoad substantiam integro: Depromit similitudinem a *Virgine intemerata* primum, deinceps virgineo pudore ac honore spoliata, quod dedecus Latini ipsi ad Graecorum genium per corruptionem ac vitium, tanquam ἐξοχικόν aliquod

292